



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

IX. Vt nullus alienum clericum sollicitare vel tenere praesumat, suo episcopo non praebente consensum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

rem se plebem quacumque occasione transtulerit ; non solum a cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propria: vt nec illis præsideat, quos per auaritiam concupiuit, nec illis, quos per superbiam spreuit. Suis igitur terminis contentus sit quisque, nec supra mensuram iuris sui affectet augeri.

IX.

19. quest. 2.
alienum
clericum.

Alienum clericum, inuito episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi forte ex placito caritatis id interdantem accipientemque conueniat. Nam grauis iniuriæ reus est, qui de fratris ecclesia id quod est vtilius aut preciosius audet vel allicere, vel tenere. Itaque si intra prouinciam resagatur, transfugam clericum ad suam ecclesiam metropolitanus redire compellet. Si autem longius processit, tui præcepti auctoritate reuocabitur, vt nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.

X.

In euocandis autem ad te episcopis moderatissimum te esse volumus: ne per maioris diligentia speciem, fraternis videaris gloriari iniuriis. Vnde si causa aliqua maior extiterit, ob quam necessarium sit fraternum aduocare conuentum; binos de singulis prouinciis episcopos, quos metropolitani crediderint esse mittendos, ad fraternitatem tuam venire sufficiat: ita vt a præstituto tempore non ultra quindecim dies * quo conuenerint, retardentur. * qui

XI.

Philip. 2.
Rom. 15.

Si autem in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumve credideris, diuersa eorum fuerit a tua voluntate sententia; ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, vt remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur. Ad hunc enim finem omnem affectum nostrum curamque dirigimus, vt quod ad vnitatem concordia, & quod ad custodiam pertinet disciplina, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur. Et te igitur, frater carissime, & eos fratres nostros, qui de tuis offenduntur excessibus, cum tamen non similis sit omnium materia querelarum, hortor & moneo, vt quæ pie sunt ordinata, salubriterque disposita, nulla concertatione turbentur. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius, sicut Apostolus ait: *Vnusquisque vestrum proximo suo placeat*